

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN. 11

Duplex Clericorum ministerium. Cap. III.

CLericis, & in primis ecclesie presbyteris duplex ministerium, diuinis & humanis legibus est iniunctum. Alterum, ut in commissum sibi populum deum propitium habere, cunctis rationibus enitentur, quod non tantum sacrificijs solennibus efficitur, sed etiam precibus, quae a pio corde proficiuntur, teste Iacobo, qui nos ad precandum cohortans: *Orate* (inquit) *pro inuicem ut saluemini*, Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Omnibus quidem dictum est: *Petite, & accipietis*. His vero, ut semper petant, nec pro semetipsis tantum, sed & pro tota ecclesia dei, ut vincat populus, qui sub ipsis est, hostes illos inuisibiles impugnantes eos qui volunt pie viuere in Christo, non stent sicut Moses, leuatis semper interioribus animi manibus in caelum, in confectione in conspectum domini ad auertendum iram eius, ne disperdat populum suum assidue precantem, deinde ut offerant dona ac sacrificia pro peccatis, quae admodum scriptum est: *Quoniam sancti erunt deo suo, & non polluent nomen eius, Incensum enim domini & panes dei sui offerent, & ideo sancti erunt*, Alterum, ut sint religionis magistri, proindeque ut in lege domini meditentur die ac nocte, ut iudicia domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, dulciora super mel & fauam, totis precordijs amplectantur, exquirant, scrutenturque. Idque non propria praesumptione aut humano sensu, sed spiritu sancto dictante, qui abscondit haec a sapientibus & prudentibus in oculis suis, & reuelat ea paruulis. Vnde scriptum est: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem exquirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Qui in hoc secundo munere praestant, gregi Christi pascendo adiuuandi sunt, de quibus suo loco dicemus.*

Iaco. 5
Math. 7.
Exo. 17.
Psal. 105
Heb. 5
Leui. 21.
Psal. 118
Ex decre. d. Clemen. Math. 11
Malach. 2

Biblia a Clericorum manibus nunquam deponenda. Cap. V.

Hic satis est admonuisse omnes pariter ecclesiasticis munus consecratos, ipsos precibus supplicationibusque publicis deo persoluendis mancipari. Quas ut non tantum ore murmurant, sed & corde persoluant, nunquam a manibus eorum liber legis, hoc est Biblia, deponatur. Nam ut quae legunt & canunt, discant intelligere, tota vita vix suffecerit, si tamen quid est in literis sacris, quod totum humanus intellectus assequi possit, alijs subinde diuitiarum fonticulis ex eodem fonte semper scaturientibus.

De horarijs, precibus indies perlegendis, & reformandis Breuiarijs. Cap. VI.

Veteris ergo instituti, quo sancitum est, ut Clerici sacris initiati, vel sacerdotijs praesidentes, singulis diebus perlegant horarias preces, quas canonicas appellamus, causae multae, & potissimum earum, quas iam commemorauimus videri solent. Hic multo iam ex tempore, pio (ut spes est) animo desiderauimus

mus